

AENEIDOS X

soluitur atque uiros mediis exponit in undis, 305
 fragmina remorum quos et fluitantia transtra
 impediunt retrahitque pedes simul unda relabens.
 Nec Turnum segnis retinet mora, sed rapit acer
 totam aciem in Teucros et contra in litore sistit.
 signa canunt. primus turmas inuasit agrestis 310
 Aeneas, omen pugnae, strauitque Latinos
 occiso Therone, uirum qui maximus ultro
 Aenean petit. huic gladio perque aerea suta,
 per tunicam squalentem auro latus haurit apertum.
 inde Lichan ferit exsectum iam matre perempta 315
 et tibi, Phoebe, sacrum: casus euadere ferri
 quo licuit paruo? nec longe Cissea durum
 immanemque Gyan sternentis agmina claua
 deiecit leto; nihil illos Herculis arma
 nec ualidae iuere manus genitorque Melampus, 320
 Alcidae comes usque grauis dum terra labores
 praebuit. ecce Pharo, uoces dum iactat inertis,
 intorquens iaculum clamanti sistit in ore.
 tu quoque, flauentem prima lanugine malas
 dum sequeris Clytium infelix, noua gaudia, Cydon, 325
 Dardania stratus dextra, securus amorum
 qui iuuenum tibi semper erant, miserande iaceres,
 ni fratrum stipata cohors foret obuia, Phorci
 progenies, septem numero, septenaque tela
 coniciunt; partim galea clipeoque resultant 330
 inrita, deflexit partim stringentia corpus
 alma Venus. fidum Aeneas adfatur Achaten:
 'suggere tela mihi, non ullum dextera frustra
 torserit in Rutulos, steterunt quae in corpore Graium
 Iliacis campis.' tum magnam corripit hastam 335
 et iacit: illa uolans clipei transuerberat aera